

accusatoris ederentur tribus, ex quibus unam tantummodo reicere posset reus, de reliquis autem iudices haberentur utique infestissimi causam dicentibus, utpote quos accusator ad voluntatem suam praelegisset edendo eas potissimum tribus, quas reo minus aequas fore arbitraretur. Sed enim Cn. Plancio summa et religiosa cum M. Tullio familiaritas erat beneficiis non mediocribus copulata. Nam cum P. Clodii, tribuni plebi, inimici sui, lege aqua et igni interdictus urbe cessisset et Macedoniam petisset nullis opem ferentibus, qui Clodianam potentiam graviter extimescebant, prolixa benignitate et fide non minore quaestoris Cn. Plancii sustentatus est. Illo quippe anno sub L. Apuleio praetore quaestura Plancius in Macedonia fungebatur. Quamdiu igitur Thessalonicae fuit, auxilio eius ab omni periculo insidiarum Cicero defensus est. Dein postea restitutus inter ceteros et ipsi gratias egit iis orationibus, quarum alteram in contione, alteram vero habuit in senatu. Causa pendet ex aedilitatis petitione, in qua designatus est Plancius repulsam ferente Iuventio Laterense, patriciae familiae, senatore, nec minore facundia quam generis nobilitate praedito. Qui nunc etiam reum de sodaliciis facit, invidioso crimine et reis metuendo propter iudices editicios, de quorum condicione supra diximus. Principaliter quidem coniecturalis defensio est . . . videlicet oratore nitente Plancium non pecuniae largitione, sed integritate morum et rerum gestarum men . . .

*(Desunt XII paginae.)*